



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Parisiis, 1684**

Ad Eundem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7748**

Longius extendant famam NATALIS in ævum,  
 Quam tua Mæoniæ proxima Musa tubæ.  
 At mihi, cui tantum non concessere Camenæ,  
 Ut canerem paribus grandia facta modis,  
 Sat fuerit gelidis extrema dedisse labellis  
 Oscula, & exangues imbre rigasse genas;  
 Sat fugientem animam fato legisse supremo,  
 Et clausisse pia lumina cara manu;  
 Sat tumulum lauri foliis ornare quotannis,  
 Et cineri multa solvere iusta prece.

## A D E U N D E M.

*Inique artem pœticam viris nobilibus vitio dari.*

**O** Cui victurum dictat Polyhymnia carmen,  
 Sæpe fides digitis tendere visa tuas:  
 Pone lyram, Augustine, licet te vate superbus  
 Cessurum Calabro se neget esse Ligur.  
 Phœbeos arcus, tutandis arma Camenis  
 Poscimus: hæc nostri temporis arma cape.  
 Ecce novum tumidoque gravem Pythona veneno  
 Horret Apollineis dedita turba sacris.  
 Ipsum etiam qui Pindi aditum, Phœbique recessus  
 Occupat, inque sacrum nos vetat ire nemus.  
 Quid moror, & ficto dubium te carmine duco?  
 Ah nimis ex vero nostra querela venit!  
 Livor edax Python, Python inscitia rerum:  
 Hæc vates dictis mordet, & ille suis.

E ij

36 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.

Non capit ingenio, quæ dente laceffit iniquo

Carmina, nobilibus ceu minus apta viris.

O quoties dixi: Quid carmen & otia vatum

Arguis, & solo stirpis honore tumes?

O quoties: Si fama tibi, si gloria curæ est,

Cur non & vatis te quoque cura subit?

Seu placet antiqua deductus origine sanguis,

Antiqui seriem sanguinis ille canet.

Seu caperis positis fumosa per atria ceris,

Ornabit ceris atria lata tuis.

Addet & his proavum titulos, & carmine dicet

Quot tulerint palmas, quasque, quibusque  
modis.

Addet & his vocem: picturas ille loquentes

Finget, & his animos ingeniumque dabit.

Quid? quod habent sua cum superis commercia  
vates,

Quique illos agitat spiritus, inde venit?

Quid? quod honoratos memorant ex ordine reges

Auratam digitis increpuisse lyram?

Creditur Amramides, nihil est illustrius illo,

Ifacidis carmen præcinuisse suis.

Carmen erat populus, cui Mempheos arma timenti

Ipse Deus facilem straverat ante viam.

Iverat & montes inter securus aquarum:

Tanta fides pelagi dissilientis erat.

Obruerat regem fluctu gravis unda refuso:

Tanta fides pelagi mox coëuntis erat.

Ibat Erythræas Mareotica gaza per undas,  
Et fracti currus, & juga vulsa rotis.

Qui miseros regni casus luctusque referret,  
Haustaque tot pelago millia, nullus erat.

Omnia quæ populus, populum præeunte poëta,  
Audiit, & paribus rettulit inde modis.

At nunc quæ subito strepuit lyra! me mihi totum  
Surripit, & superis inserit ipsa choris.

Jesside, salve regum, salve optime vatum,  
Sive lyram, docta seu geris arma manu.

Militiæne prius mirer, cantusne scientem?  
Par utroque tibi nomine constat honor.

Queis ego te regem componere regibus ausim?  
Nil potuit regno sanctius esse tuo.

Queis ego te vatem componere vatibus ausim?  
Nil potuit plectro dulcius esse tuo.

Luce tibi sonuere tubæ: lyra nocte canebat,  
Victorique Deo carmine gratus eras.

Et modo strata tuis, modo fletibus ara madebat:  
Et modo te tarda Musa levabat humo.

Sancte velis mihi te facilem præbere canenti,  
Et vates vati dexter adesse tuo.

Si non me tecum fas est excedere terris,  
Nec mea me supra sidera Musa levat;

At placare tuo fas sit mihi Numina cantu:  
Hac, precor, hac liceat te mihi parte sequi.

Talia cantabant afflati numine vates,  
Otia post pugnas cum sibi iusta dabant.

38 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.

Et quisquam, sit dives opum, sit clarus avito

Sanguine, tanta neget nomina pone sequi?

Et leve nescio quid, quod tantum tempora fallat,

Esse putet, doctæ carmina mentis opus?

Ille ego sim, qui, dum Pindi sedet arduus arce,

URBANI sacris oscula dem pedibus.

Ille ego sim, qui CHISIADÆ juvenilia dicar

Otia parte aliqua posse referre meis.

Nec mihi quis, si castra vocant, neget artibus illis

Esse aliquem lituos inter & arma locum.

Tunc erat, extremum Macedo cum subderet orbem,

Et captis Ganges mollior iret aquis.

Tunc erat, Iliadem caperet cum lectus & enses,

Qui custos Musis esset, Homere, tuis.

Scipiade, tibi jugis erat comes Ennius: idem

Emeruit tumulo proximus esse tuo.

Cæsar in adversos cum fulminis instar Iberos

Tenderet, ipse suum carmine lusit iter.

Ajacem nobis invidit spongia: dextra

Occidit Augusti fixus, ut ipse sua.

Secula, cur sileam? vates quoque nostra tulerunt,

Imperio populos qui tenuere suo.

Cæsareæ studuit Phœbeam nectere laurum

Primus ab Austriacis Maxmilianus avis.

Summos summa juvant: res est quoque summa

poësis:

Et qui digna gerunt carmine, carmen amant.